



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

Capvt. X. Pestisne grauius humani generis flagellum sit, an Fames ?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

rectè dici velimus. Id autem ipsum conservare humanitatem, quid aliud est, quàm diligere hominem, qui homo sit, & idem, quod nos sumus? discordia igitur, atq; dissensio non est secundùm hominis rationem. Verumq; est illud Ciceronis, quod ait, hominem natura obedientem homini nocere non posse, ergo si nocere homini, contra naturam est: prod-esse igitur homini secundùm naturam sit, necesse est. Quod qui non facit, hominis se appellatione dissipiat; quia humanitatis officium est, necessitati hominis, ac periculo subuenire. Quæro igitur ab ijs, qui flecti ac misereri non putant esse sapientis; si homo ab aliqua bestia comprehensus, auxilium sibi armati hominis imploret; utrumne succurrendum putent, an minime? non sunt tam impudentes, ut negent, fieri oportere, quod flagitat, quod exposcit humanitas. Item si aliquis circumueniatur igni, ruina opprimatur, mergatur mari, flumine rapiatur; num putent hominis esse, non auxiliari? non sunt ipsi homines, si putent. Nemo enim potest eiusmodi periculis non esse subiectus. Immo verò, & hominis, & fortis viri esse dicent, servare periturum. Si ergo in eiusmodi casibus, qui periculum vite homini afferunt, succurrere, humanitatis esse, concedunt, quid causa est, cur si homo esuriat, sitiatur, algeat, succurrèdum esse non putat? quæ cum sint paria natura, cum illis casibus fortuitis, & unam eandemq; humanitatem desiderent; tamen illa discernunt; quia non re ipsa vera, sed utilitate presenti omnia metiuntur. Illos enim, quos periculo surripiant, sperant sibi gratiam relaturos. Egentes autem, quia non sperant, perire arbitrantur, quidquid eiusmodi hominibus impartiant. Hinc est illa Plauti detestanda sententia.

*Malè meretur, qui mendico dat, quod edat.*

*Nam & illud quod dat, perit:*

*Et illi producit vitam ad miseriam.*

## CAPVT X.

*Pestifera grauius humani generis flagellum sit,  
an Fames?*

**S**I quemadmodum Ethnicus Poëta fortasse pro persona locutus est, idcirco nihil stipis dandum est mendico, ne illi vita ad miseriam producat; tunc utique vita famelica morte ipsa censetur peior. Et re ipsa peiorem censent, qui

I,

qui pro tali vita mortem optant, ut miseriam finiant. Tantò igitur famelici pauperes erunt misericordia digniores, quantò sunt miseriore, ut vivere velint, si habeant, vnde vivant. Hinc exillit scitu digna quæstio, sitne fames mortalibus plus timenda, quàm mors, immò quàm pestis ipsa? Hanc quæstionem, de duobus grauissimis mortalium malis, parùm gratam minùsque jucundam auribus putarem, nisi scirem, homines interdum ex tristibus etiam, horribilibus, acerbis, atrocibusque rebus voluptatem capessere. Id enim, nisi ita esset, neque historias de bellis, de cadibus & stragibus multorum, tanto studio legeremus; neque tragœdias tam auidè spectarem. Et quamuis de fame, deque peste audire, sit minùs jucundum, non tamen ea propter hac disputatione est abstinendum, cum in plurimis rebus vtile jucundo sit anteponendum; & hinc non solùm humanæ calamitatis cognitio possit hauriri, sed etiam, intellecta diuinæ justitiæ seueritate, horror scelerum queat nasci; hominumque pectora ad misericordiam commoueri.

II. Atque sanè multa sunt, quæ maiorem nobis luis pestiferæ, quàm famis timorem videntur incutere. Plus est enim esse, quàm non esse; & furor, censetur, ne moriari, mori. Qua de causa nemo est, qui non, vel solo nomine pestilentia auditò, vehementer percellatur, omnibusque animi sensibus perhorrescat. Famem autem, si centies appelles, vix quisquam vel minimo motu metuque concutitur. Vnde facilè intelligi potest, plus in illa, quàm in hac mali inesse; proindeque multò illam, quàm hanc formidabiliorem censendam. Cur enim nomen illud tantopere exhorremus? Certè non tam propterea, quòd mortem, quàm quòd tempus mortis longè miserabilius, longèque metuendum magis hominibus plus còsuevit afferre, quàm soleat fames. Quos enim fames conficit, sensim deficiunt & extabescunt, tandemque viribus exhausti omnibus, quasi sine sensu expirant. Pests subito, vel paucorum dierum, immò paucarum horarum interuallo, cum ingenti æstu, cruciatu, & eiulatu, quos inuenit, è medio tollit. Quid autem subita, & præpropera morte horribilius? quid miserabilius, quàm modò vivere, ac paulò post lethifera contagione extingui? modò in hominum cœtu sedere, mox inter  
cadauc-

Martial. li 2.  
epigr. 80.

cadaverum acervos jacere? modò esse in domicilio, paulò pòst in coemeterio? Laudanda igitur atque amulanda est pia quorundam consuetudo, qui in omnibus panè precibus suis à Deo flagitant supplices, hoc vt à cervicibus suis malum auertat, seq; repentinæ atque inopinæ morti eripiat. Quod malum, vt ab vrbe Romana auerteret, non dubitavit olim M. Curtius supersticiosam se se hostiam facere, & armatus in hiatum cum equo desilire.

T. Linius, l. 6.

III.

Quid verò de ipso morbi huius genere dicam? cuius foeditatem oculi refugiunt, grauitatem acerbitatemque membra vix sustinent? Caput plerumque primùm inuadit, velut hostis urbem capturus, quam arce captâ, facilè occupat. Cerebrum perturbat, mentem ac rationem de sede sua statuque deturbat. In membris alijs videas vel pustulas immundas, vel humores, mox vlcera prominentia. Fauces arefcunt; siccatur lingua; sitis obsidet guttur; incensa flagrant viscera; trahunt miseri, & vix trahunt spiritum, vix etiam vocem exilem & eluctantem reddunt. Quid multa? ita eos pestis miseris habet & affligit modis, vt vmbra, vt simulachra, non homines videantur. Nec verò tantam in mortales tyrannidem fames exercet, quamuis etiam ipsa sat magna in eos crudelitatis expromat exempla. Et hæc quidem plerumque parcit opulentis, atque diuitibus, manus enim precipuè iniicit egenis: illa vno etiam ordine ducit omnes indiscriminatim, nec vllam vel aetatem, vel condicionem habet eximiã: inuadit æquè Principum ac populi lares, vt fames quidem lamia, pestis autem Furia possit comparari. Numquam fames tot millia simul interfecit, quot pestis, quæ quandoq; sub Leone Isauro Imp. cum Saraceni Afiani Zulemone Afiano Admirato Constantinopolim triennali obsidione classe ingenti cinxissent, ad CCC. millia è Constantinopolitanis interemit; teste Volaterano; quandoque non vnã, sed plures peruagata regiones, omnes pagos, omnia oppida, ipsas vrbes exhaustit, ac depopulata est. Memorant historiæ anno à Christo nato 876. tantam vim pestilentia in orbem terrarum incubuisse, tantumque hominum absumpsisse, vt vix tertia pars superstes euaserit. Himilco in Hasdrubalis patris locum ad Siculum bellum id temporis, cum iam Dionysius

Volaterano lib. 23. An- thropi



Sab. lib. 9.  
En. 3. post  
Iustinum.

Diodor. lib.  
15.

III

IV.

Nicephor.  
lib. 35. hist.  
cap. 10.  
Bonfin. lib. 7.  
dec. 1.

sus Syraculis tyrannidem obtineret, missus, rebus ibi præclare gestis vniuersum exercitum pestilentiam amisit. Cuius acerbissimi casus affectu Carthaginem reuersus, manum sibi intulit. Numquam fames tam multos sustulit. Neque sanè tam inaudita fecit, quàm de peste legimus. Diodorus narrat, circa Olymp. C. pestilenti febre Carthaginem inuadente multos Carthaginensium morbo acriter correptos esse, ita vt de imperio suo periclitarentur. Siquidem & Libyes, & qui Sardonem inhabitabant, putantes, se occasionem iam aduersus Carthaginenses nactos, ab eis descuerunt. Erant quoque perturbationes, & metus magni in populo: repentini quidam, cum omnium stupore excitati tumultus frequenter per urbem, cum minimè expectarent, fiebant. Multi arreptis armis, tamquam hostes profligaturi, excurrerant, & ferrum in se inuicem, tamquam in hostem quisq; suum stringentes, mutuis cadebant vulneribus.

Neque subito dumtaxat effectu tristici morbo, sed etiam portento est metuenda, quia etsi è fame timeri pestis possit, haud tamen ita constat, quid è peste sit euenturum. Nam & hæc causa famis esse potest, & indicium maximè cladis secuturae. De fame, apud Nicephorum legitur: in grauissima peste, sub Martiano Imp. agros per annum integrum coli nequiuisse, ideoque nec fruges prouenisse. De hoste venturo narrat Bonfinius, ante Longobardorum in Italiam aduentum, multa Italiae infausta & infelicia signa apparuisse, quæ futura mala portendebant. In primis ita pestis vsquequaque grassata est, vt nulla lucus expers domus inueniretur. Euitandæ labis gratia, domicilia, facultates ac pecora deserebantur: cessabat agricultura, cæteræque artes ac studia omnia destituebantur. Parentes à liberis, ac liberi à parentibus destituti, nullum pietatis officium retinebant. His malis etsi vniuersa Italia ad Noricos vsque laborarit, præ cæteris tamen Liguria est absumpta. Et quamuis nihil aliud portendat hæc lues, ipsa tamen secum sat magnam malorum segetem affert. Sufficit in exemplum vel illa pestis; quam olim Scriptores grauissimi narrant Athenis exarsisse. Nam partes illorum, quorum corpora malum infederat, internæ ita flagrabant, adeoque æstuebant, vt multi inexplebili siti cruciati, in puteos se præcipites egerint.

egerint. Qui autem è morbo illo conualuerant, atque è lecto surrexerant, membra affecta amittere cogebantur; quo fiebat, ut alij sine pedibus, alij sine oculis manerent in vita: nonnullos autem statim omnium peræquè rerum capiebat obliuio, ita ut non modò familiares suos ac necessarios, sed seipfos etiam ignorarēt. Neq; verò intra homines dumtaxat veneni huius vis se cōtinuit, sed in oues quoque ac pecudes diffudit, quæ illud è contactu humanorum corporum haurientes, illico interibant: canes præsertim, qui propter contubernij & victus societatem mali ingruentis sensum magis præbebant. Postremò, quod omnium tristissimum, & ut veteris Poëtæ verbo utar, maximè *arumnabile* erat, illi, quos pestis comprehenderat, omni salutis ac sanitatis spe abjecta, remedia omnia repudiare solebant: reliqui, tamquam & ipsi certi mortis, quæuis pietatis officia negligere, leges contemnere, atque proijcere, animis obsequi, honestatem voluptate corrumpere, opes aut hæreditate acquisitas, aut labore industriaq; partas profundere non ambigebant.

Si hæc non sufficiunt mala viuentibus, per pestes, creata, etiam ultra illa grassantur. Non solùm enim vitam nobis illa, sed honorem etiam sepulturæ ac funeris adimunt. Siquidem horum, quos ex humanis violenter eripit, corpora vel clam in hortis, aut etiam cellis sepeliuntur, vel in plateas ejecta, & noctu ferè exportata, aut plaustris imposita, atque in communem scrobem euehuntur, sine comitatu, sine pompa in fossam conijciuntur. Fames autem hoc honore non priuat, nemo enim horret fame enectum. Multos certè audiuius peste ac dolore nimio ab omni sensu alienatos, pro mortuis abjectos, & verò etiam elatos, primùm inter cadauera ad se, ac postea etiam ad suos rediisse. Quod & tibicini temulento accidit, qui cùm præ ebrietate progredi non posset, in ipsa platea, ante cauponam, obdormiuit. Quia igitur tum peste extincti ante januas exponi solebant, ut à vespillonibus nocturnis asportarentur: hunc vino obrutum, cùm itidem defunctum arbitrarētur, ad cetera cadauera in plaustrum injecerunt, cumque reliquis corporibus ad cumulum cadauerum euexerunt, non antè è somno & ebrietate excitatum, quàm se ipse, die postero, viuum inter mortuos reperisset, vi-

numque non minus ac pestem detestatus esset. Quod illi sanè, si fame atque inedia in insomniam venisset, numquam potuisset accidere. Fames porro non solum humanis plerumque potest modis & auxilijs asPELLI, cum interea pestis plerumque omnia humana media eludat, & mutet tacito medicina timore; verum etiam plerumque est hominibus, quam alijs animantibus infestior fames; pestis autem

*Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum,*

*Corruptiq; lacus, infecit pabula tabo.*

Exod. 9. 2. Quod malum Deus, etiam per Moysen Pharaoni minitatus est. *Quòd si adhuc renuio, & retines eos; ecce manus mea erit super agros tuos: & super equos, & asinos, & camelos, & boues, & oves,*

Exod. 5. 3. *pestis valde grauis.* Neque Israëlita famem, sed pestem timere se indicarunt: *Dixeruntq;: Deus Hebraeorum vocauit nos, ut eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro: ne fortè accidat nobis pestis aut gladius.* Quas duas plagas,

Ezech. 38. 22. etiam alibi minatus dixit: *Et iudicabo eum peste & sanguine,* hoc est, grauissimis morbi & belli poenis vindicabo. Hæc pro fame, contra atram hanc luem dici possunt.

## VI.

Neque negandum est, inter grauissima humanæ gentis flagella pestem recenseri. Quid igitur? statuamne omninò & affirmem pestem esse fame terribiliorem ac truculentiolem? At si huius quoque crudelitatem atque sæuitiam considerauerimus, nihilo eam minus, minus autem? immò multò magis timendam ac fugiendam esse perspiciemus. Nam etsi ad nomen Famis non ita exhorrescimus, ut ad vocem Pestis, tamen illud videtur esse inter vtrumque malum discrimen, quòd pestem plus timeamus absentem, famem præsentem plus sentiamus. Enimverò si de humana æstimatione loquamur, multi malunt non esse, quam ad eò miseri esse; hinc malunt mori, quam diuturna fame cruciari. Et quidem, si tempora mortis libet inter se se conferre, quis sapiens non eligat summos dolores citiùs finire, quam eos in longum protrahi? Quid autem est longa fames aliud quam longus cruciatus? Itaque verè, qui fame consumuntur, sensim deficiunt, quia sentiunt, se deficere ac mori. Si ergo tantò miserabilior est ærumna, quantò diuturnior; tantò erit peius fame, quam peste confici,

confici, quanto lentius homines fame, quam peste conficiuntur. Ausim dicere, hoc solum in peste bonum esse, quia, ne diu cruciet, citò tollit. Quòd autem fames mortem diutius differat; quam lues, nihil hoc malum mitigat, sed auget, quia etiam tyranni, ut dirius torqueant, jubent alios ita pedetentim occidi, ut sentiant se mori. Misera est subitanea mors, si sit improvisa, fateor. At improvisa potest etiam esse in fame, dum quisque sperat, quam diu spirat, se adhuc diutius vitam protrahiturum. Quòd si autem etiam in pestifero dolore, vix quisquam ita occupatur, ut non possit providere, se moriturum, aut vix evasurum; tum profectò, si sibi prospiciat, felix est, si citò occumbat; quisquis enim citò moritur, citò desinit ægrotare. Neque miseros dicemus idcirco milites, quia vno teli jactu, aut gladij plaga, velut momento temporis, sed quia imparati, & conscientia quo-

que sauciata sæpe moriuntur. M. Curtius, ut pestem ab urbe auerteret, equo insidens in hiatum insiliit? Adolescens fuit. fecit id responso diaboli deceptus. fecit pro salute & incolumitate totius patriæ civitatis. Multi viri, & senes, sine oraculo, ne famem privati privatam pati cogerentur, se in puteos, in amnes, in plateas ex alto præcipitauerunt.

Iam si ipsum genus mali vtriusque inter se conferamus, nihil fames pesti cedit, nisi quòd, ut prolixiorum affert cruciatum, ita etiam crudeliorem, sicut dixi. Quippe si de sceditate aspectus sit sermo, longè inedia vultus facit horribiliores. Pestilentia tacti rubent, quia æstuant; inedia exhausti pallent, & lurido genarum atrore laruis ipsis infernalibus assimilantur: ut meritò sine formidine non aspiciantur. Pestilentia correpti sunt debiles; inedia emaciati longè debiliores; adeò, ut tandè nec gradi, vel è terra se erigere queant; aut si conentur incedere, ossa compulsent ambulando. Pestifera lues mentem perturbat? multi visi sunt, qui fame ad rabiem adacti insanierunt. Pinguntur pestiferi rubore subliuido, carbunculis & anthracibus deformantur? At famelici viribus defecti mortem ipsam representant. Nec minùs his, quam illis fauces arescunt, asperatur lingua, ipsoque edendi & bibendi appetitu, cibi & potus eliditur appetitus ac ligatur, ut tandem etiam maximè famelici, licet cibum habeant, sumere amplius

Tit Liv lib. 6

VII.



non possint; itaque miseri trahunt spiritum, ut gemere, non anhelare videantur. Pests nullo discrimine pauperes diuitesque inuadit? Inuadit & fames: nam & Tantalus diues fuit, & multi alioqui opulenti, vel in bello, vel in carcere, vel in obsessa vrbe fame vexantur. Quod si in magna annonæ caritate pecuniosos fames non aggreditur, tantò sunt miseres, si vident inopes esurire, & ipsi saturi non succurrunt. Hæc eorum felicitas via illis est ad æternam calamitatem. Sensit nimium ille, qui sitiens dixit: *crucior in hac flamma*, quàm longè infortunatior fuerit sua saturitas esurie Lazari, ante fores, & inter canes iacentis. Multos pestis è medio tollit? tollit multos & fames. Populatur illa totas nationes? populatur & ista. Illa & homines sternit & pecudes? facit idem & ista. Minitatur Deus & pestem & hostem prauaricatoribus? minitatur & famem. Immodò plerumque tamquam tergeminum flagellum coniungit. Apud Prophetam ita loquitur:

Luc. 16. 24.

Jerem. 14. 12.  
Jerem. 21. 9.  
Jerem. 24. 10.

*Gladio, & fame, & peste consummam eos: Item: Qui habitauerit in vrbe hac, morietur gladio, & fame, & peste. Ac rursus: Et mittam in eis gladium, & famem, & pestem; donec consumantur de terra, quam dedi eis, & patribus eorum. Et apud alium Prophetam: Gla-*

*dio, fame, & peste ruituri sunt.* Apud quem paulò priùs in hunc modum irascitur. *Ego Dominus locutus sum: Quando misero sagittas famis pessimas in eos; quæ erunt mortifera, & quas mittam, ut disperdam vos: & famem congregabo super vos, & conteram in vobis baculum panis. Et immittam in vos famem, & bestias pessimas usque ad internecionem: & pestilentia, & sanguis transibunt per te, & gladium inducam super te. Ego Dominus locutus sum.* Vbi non solum famem enumerat inter pessima, sed propè etiam inter pessimorùm pessima, si bellum excipias, de quo paulò post dicemus,

### VIII.

Enimuerò sicut inter bona pestis potest computari, quòd corpus citò sternat, ne diutiùs affligat; ira & inter optimos eius effectus censendum est, quòd homines faciat de salute sua cogitantes, & ad poenitentiam confugientes, & eos scilicet, qui iam à morte se vident non procul abesse, & illos, qui timent ne sibi quoque eueniat, quod alijs vident quotidie euenire. At fames, ut suprà docuimus, *malè suada* est. Quid enim non cogit mortalia pectora? Leuis erat fames, quæ Euam, quæ ipsum Adamum

Gen. 3. 6.

ad

ad grauissimum facinus pertraxit. Non erat rabies vāsana, quæ tamen Esau quò non impulit? *Coxit Iacob pulmentum: ad quem cum venisset Esau de agro lassus, ait: Da mihi de coctione hac rufa, quia oppidò lassus sum. Quam ob causam vocatum est nomen eius Edom. Cui dixit Iacob: Vende mihi primogenita tua. Ille respondit: En morior, quid mihi proderunt primogenita? Ait Iacob: Iura ergo mihi. Iurauit ei Esau, & vendidit primogenita. Et sic accepto pane & lentis edulio, comedit, & bibit, & abiit; parui pendens, quòd primogenita vendidisset. Gula potiùs, quàm fames fuit, quando populus Israëliticus, in deserto petijt, pro manna cælesti cibo, aues esitare: Ventus autem egrediens à Domino, arreptans trans mare coturnices detulit, & demisit in castra itinere, quantum vno die confici potest, ex omni parte castrorum per circuitum, volabantq; in aëre duobus cubitis altitudine super terram. Surgens ergo populus, toto die illo & nocte, ac die altero, congregauit coturnicum, qui parùm, decem coros: & sicauerunt eas per gyrum castrorum. Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiuscemodi cibus: & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis. Vocatq; est ille locus, Sepulchra concupiscentia: ibi enim sepelierunt populum, qui desiderauerat.*

Gen. 25. 29.

Num. 11. 31.

IX.  
 Multa alia delicta, ex fame, perpetrata suprà indicauimus, satis est nunc addere, quæ natura reluctantè, inedia dicit & committit. Hæc enim Samaritanos, seu Samaritas à Benadabo rege, vt sacræ litteræ referunt, obsessos caput asininum vnum in cibatum octoginta nummis argenteis; hæc Cassilini incolas in Campania Hannibalis obsidione cinctos murem vnū trecentis emere compulit. Hæc eosdem Samaritas adegit, vt quartam partem cibi stercoreis columbarum quinque argenteis præstinent. Hæc olim in Arabia mortuorum cadauera ex ipsis monumentis eruta, in alimenta cibosq; conuertit. Hæc Atreos facit, hæc Thyestéas mensas reuocat, hæc, inquam, liberos (ò soli ipsi intolerandum spectaculum!) parentibus deuorandos apponit. Testatur enim Valerius Maximus, quo tempore Pompeius Calaguritanos obsederat, fame parentes eò adactos fuisse, vt liberos suos, velut alias carnes sale conditas infumsrent, vt se illis alere diutiùs possent ac sustentare. Cui auctori si fidem non adhibemus; ex Iosepho

4. Reg. 6. 25.

suprà

suprà similem de Ierosolymitanis historiam attulimus, & potest ex ipsis diuinis paginis reponi, in quibus, apud Regem mulier  
 4. Reg. 6. 25. ita causam suam agit: *Mulier ista dixit mihi: Da filium tuum, ut comedamus eum hodie, & filium meum comedemus cras. Coximus ergo filium meum, & comedimus. Dixiq; ei die altera: Da filium tuum, ut comedamus eum. Qua abscondit filium suum.* Quid mirum, si abscondit filium ad lanienam petendum? Tales enim parentes, quantum animo capere dolorem, quantum sentire cruciatum existimemus, quos pusilla soboles velut auicula circumuolat, & hiante osculo clamat: Da mihi panem, ô dulcis pater; optima mater, Da mihi panem. Ecquid audis? panem da mihi: En fame enecor: Eia, da mihi, obsecro, panem. Instat, vrget, flagitat, fletu: & interim in panario micula panis est nulla, qua charissimis capitibus succurrant. Immodò nec est, quo suam inedia m fament. Fament, rabiunt, in cibum obuium cum insania feruntur; & more luporū irruunt in ipsos liberos suos lacerandos, epulandos, atque eò, vnde nati sunt, reponendos.

## X.

S. Basil. homil. in illud: Destruam horrea mea.

Theophil. Raynaud. de virtutib. & vitijs lib. 4. sect. 2. c. 20. num. 225.

Hanc vim naturæ illatam, doloresque ipsi facinorosi, vix capere explicatiùs possumus, quàm ex oratione S. Basilij, qua seriò grauitèrque auarum hortatus, ne velit alienarum calamitatum caupo ac inceptor effici, ijs pressis ac subductis, quibus aliena calamitas leuari posset; tandem, vt hominem saxum emolliat, patrem proponit filios habentem promercales; nec tamen oblatione viscerum suorum pro alimonix pretio, vllatenus auarum flectat, præ auaritia supra cautes & saxa duratum. *Expressum dicerem, vt alia plerag; ait Raynaudus, eum S. Basilij locum à S. Ambrosio lib. de Nabuthe Israelita c. 5. nisi quod S. Basilius ingeniosè dumtaxat, & oratorie proposuit, hoc Ambrosius, tamquam rem à se visam referret. Sed potuit S. Ambrosius in exempli sibi comparati expositione & amplificatione, seu potius expensione, suppetias à S. Basilio de more querere.* Itaque non abs re erit, si locum D. Ambrosij integrum afferamus, apud quem addita quædam differunt ab ijs, quæ D. Basilius habet, estque Ambrosij oratio, vt plenior, ita ærumnæ patrona, & sicut crudelitatis auari, ita & famis expressior imago, qua populus ipse, ad quem è sacro suggestu illam fudit, ad lachrymandum commotus est, vt ipse inibi testatur.

D. Am-

D. Ambrosij verba sunt, etiam ad famis necessitatem accommodanda: *Vidi ego pauperem duci, dum cogere tur solvere, quod non habebat: Trahi ad carcerem, quia vinum deesset ad mensam potens: deducere in auctionem filios suos, ut ad tempus pœnam differre posset, inuenturus fortè aliquem, qui in illa necessitate subveniret. Redit ad hospitium cum suis pauper, diruta spectans omnia, nihil sibi ad cibum relictum: Ingemiscens filiorum famem, dolens, quòd eos non potius ei, qui posset pascere, vendidisset. Redit ad consiliu, vendendi sumit arbitrium. Compugnabant tamen inopia injuria & paterna pietatis gratia, Fames urgebat ad pretium, natura ad officium, Commori filijs magis paratus, quàm à filijs separari; saepe gradum protulit, saepe reuocavit. Vicit tamen in eo necessitas, non voluntas, & ipsa concessit pietas necessitati. Hucusque facti narratio. Addit his postea cogitationes ex affectu paterno inter se pugnantes, cerra menque mentis, in durissimo liberorum suorum casu, mirificè fluctuantis; quo ferè etiam modo alij SS. Patres distractum curis agitatumque Abrahæ animum, filium suum Deo in sacrificium immolaturi, oratorum coloribus vndecumque adhibitis, descripserunt.*

*Consideremus nunc patria mentis procellas, ait, exestuantis, quem de filijs prius traderet. Quem, inquit, vendam priorem? Scio enim, quod non satis est vnius pretium ad partem reliquorum. Hoc solum diues fecunditas ad arumnam. Quem offeram? Quem frumenti auctiorator libenter aspiciet? Primogenitum offeram? Sed primus me Patrem vocavit. Hic est maior ex filijs, quem congruè honoro seniorum. Sed juniorem dabo? At istum teneriore amore complector. Illum erubesco, huius misereor. Illius gradum suspiro, huius atatem. Ille iam sentit arumnam, iste ignorat. Flectit me illius dolor, huius inscitia. Ad alia me conferam. Ille mihi plus blanditur, iste plus verecundatur. Ille parenti similior, hic utilior. In illo imaginem meam vendo, in isto spem meam prodo. Me miserum! non inuenio quid faciam, non habeo quod eligam. Circumuallant me facies calamitatum, arumnarum chorus. Ferina hæc rabies est, eligere quem tradas. Fera ipsa cum pericula imminere proli, ac sibi sentiunt, solent eligere, quos liberent, non quos offerant. Quomodo igitur discernam affectum naturæ? Quomodo obliuiscar, quomodo exuam Patris mentem? Quomodo filij auctio nemo constituam? Quo sermone paciscar pretium? Quibus tradam*  
 O  
*manibus*

XI.

S. Ambros. lib. de Nabuzhe. c. 5.

S. Ephrem in Abrahæ encomio. S. Chryf orat. de Abraham! & serm. 7. in 2. Cor. & lib. ad scandalum passos. cap. 10. & ipse S. Ambros. lib. 1. de Abr. cap. 8.

XII.

manibus in seruitutem filium? Quibus oculis aspiciam seruientem? Quibus oculis discedenti valedicam? Quibus factum excusam sermonibus? Fili, ego te pro meo cibo vendidi. Funestior ergo iam pauperis mensa, quam diuitis. Ille addicit alienos, ego meum vendo. Ille necessitatem imponit, ego affero voluntatē. *Vi sit excusabilior causa; adiciam: Fili, pro fratribus tuis seruias, ut illis quarantur alimenta. Et Ioseph à fratribus suis in seruitutem venundatus est, postea & ipsos, & patrem paupit. Respondebit & ille: Sed non eum vendidit pater, sed fletum amissum. Sed postea etiam ipsi in potestatem diuitis venerunt, & vix postea potuerunt liberari. Genus eius diuitijs Aegypti, multa atate, seruiuit. Vende me postremò pater ea condicione, ne diuites emant. Hac si fatear vera, quid faciam? Nullum vendam. Sed cum unum considero, omnes videbo fame pereuntes. Si unum tradam, quibus oculis videbo ceteros de mea impietate suspectos, ne alios quoque vendam? Quo pudore regrediar domum? Quo modo intrabo? Quo habitabo affectu? qui mihi ableganti filium, quem morbus non absumpsit? non mors abstulit? Qua conscientia considerabo mensam meam, quam sicut nouella oliuarum in circuitu tot filij vestiebant? Lapidem ista moueant. Quare his recensitis, istum epilogum adjungit Ambrosius: Hac pauper, te presente deplorat, & tibi, auaritia, aurem obstruit, nec mens tua facti miserabilis horrore mollitur. Totus populus ingemiscit, & solus diues non flecteris. Hæc D. Ambrosius, quæ sæpius cogitantur, dicuntur, sunt à famem passis, & tamen auaros non flectunt; non molliunt lapideos, non frangunt ferreos. Sed quis pater talia audiendo, vel spectando Temperet à lachrymis? An non mille mortes ille huiusmodi miseræ in liberis videndæ atque experiundæ jure præoptet? Sed de hoc argumento plura se se offerunt à nobis discutienda.*

## CAP V V T XI.

*Cur pestem non solum præ bello, sed etiam præ fame in penam suam elegerit David?*

I.  
2. Reg 24. 2.



Amem peste magis formidandam esse, etiam sapientissimi Regis calculo confirmatur. Iusserat David populum numerari, & tamquam in populi sibi subjecti multitudine glorians superbe peccauit. Ad quod delictum